





EPITHALAMIA

In Honorem Nuptiarum

AMPLISSIMI, PRUDENTISSIMI  
& Doctissimi Viri, Dn.

MISAACI GRE-  
gorij,

REIPUBLICÆ SERVESTANÆ  
Patriæ Consulis, nuptias Cele-  
brantis, Cum

HONESTISSIMA ET PUDICIS-  
sima Fœmina

MARIA,

Reverendi & Doctissimi Viri,  
DN. DANIELIS VVALSTORPII, Eccle-  
siæ Servestanzæ ad D. Nicol. Archidiaconi b.m.  
relictâ viduâ.

*Scripta ab Amicis.*

SERVESTÆ, Typis Andreae Bezelij,  
ANNO M. DC. XXXIV.

**A**D similem tendit similis, par compare gaudet,  
Ac bene conveniunt foemina virq; pares.  
Hinc bene Gregorius Consul sibi consulit, ut par,  
Dum viduus viduam ducit amatq; parena.  
Hoc ita Conjugium parium sit utrinq; beatum,  
Ac cumulo Domini gratia ditet opum!

*Ita volebam*

M. CHRISTIANUS BECMANUS, Ecclesiae  
Servest. Antistes & ibidem Theol. Profess.

II.

**C**onjugium felix! ubi curia juncta Cathedra:  
Næ felix! Schola si pronuba Juno fuit.  
Quid mediter prologo hoc, ut noris, Consul amice,  
Fatidicus vatis nullius Augur eges.  
Te Schola Discipulum, teq; est experta Magistrum:  
Et mirum, si sit pronuba facta tibi?  
Flexerat ad Cathedram rutilis vestigia redis:  
Post sua ubi liquit funera Pastor ovem.  
Hanc tibi, dixit, ovem jungo: sic jungo Cathedrae,  
Quam Pastor tenuit, quaq; reliquit ovem.  
Consilium placuit: si, quam tibi vota Cathedrae  
Jungere non poterant, jungere posset ovis.  
Sic te connubio junxit tua Juno sorori:  
Sic te pastoris læta beavit ove.  
Conjugium felix casto flagrabat amore,  
Florebatq; Domus pignore, pace Torus:  
Nil non Juno dabat, nil non ovis illa ferebat:  
Quisque Tibi, atq; Tuæ quisque favebat ovi.  
Curia restabat vestrae jungenda Cathedrae:  
Junxit & hanc meritis Juno adamata suis.  
Sic modò quem Ludus, mox Curia sacra Magistrum  
Audiit, & gemino est auctus honore Torus,  
Iamq; videbantur recto stare omnia talo,  
Cum ruit in sociam noxius hostis ovem.

Se-

Se dolet à *Cathedra* desertam *Curia*, & alio  
 Obruitur somno, quæ modò *Juno* vigil:  
 Evigilat, cernitq; novam succedere tectis  
 Hospitem: & antiquâ sede sepulta jacet.  
 Post multas tandem revocata in lumina noctes  
 Surgit, & à thalamis hospitem abesse videt.  
 Jam vires reparare suas, quas fregerat atris  
 Noctibus, & v iduum sollicitare *Torum*.  
 Dum me nox habuit, quantum mutatus ab illo es,  
 Infit, cui *Cathedra* & *Curia* juncta fuit!  
 Te mihi si credis, nostro nil robore majus,  
*pronuba* præteritos mox revocabo dies.  
 Annuis. Extemplò facies Tibi *Veris* amœna  
 Post *Hyemem* surgit: quislis & ante fuit,  
*Curia* nunc iterum *Cathedrae* se fœdere jungit,  
 In tenerâ, liquit quam Tibi *Pastor*, *ove*.  
 Ultima sic tandem primis æqualia surgunt:  
 Sic rursus *Juno* est conciliata Tibi.  
 Quam tibi cessit *Ovem* Senior, post funera, *Pastor*,  
 Jure tuo Senior nunc quoq; *Pastor* habes:  
 Quid voveam exspectas? voveo Tibi reddier omne,  
 Quod primi quondam Jura dedere *Tori*.  
 Quæ juvenem grato quondam Te vellere fovit,  
 Vellere *ovis* foveat nunc quoq; grata senem.  
 Plura cupis? teneros cupientibus apprecor *Agnos*:  
 Cum quibus & Senior ludere *Pastor* amat.

M. VVENDELINUS.

III.

**H**actenus à me tibi agitata est *Questio*, Docto  
*Virginis an Vitæ fuerit magis utile Sponso*  
*Connubium? Præfert Viduæ pars unica amores,*  
*Altera commendat præstanti corpore Nympham:*  
*Invenit atq; suas pars invenit utraq; causas.*  
 Tu dubiam hanc nobis, Consul Doctissime, *Causam*

De-

Decidis, factoque probas, magis utile Docto,  
 Verior utra Tibi cedat Sententia. Nempe  
 Duxisti Juvenis viduam, sic dante, Mariam  
 Numine. Post Viduus Reginae quæris amores  
 Virginis (O verè Regina! scilicet ista  
 Moribus, Incessu, Formâ, Virtute, quousq;  
 Fida Tibi fuerat per læta per aspera Coniux,  
 Regina præ se Nomenq; Decusq; ferebat)  
 Virginis haud Viduae Viduus sectaris amores.  
 Nunc tandem, fuerit quamvis oblata Puella  
 E multis non una Tibi, prudenter amori  
 Istarum Viduam placuit præferre maritam.  
 Exemplo sic, sponse, tuo, magis utile quodnam  
 Conjugium, doctè voluisti ostendere, Docto.  
 Sic Tibi prima fuit tædis viduata Maria,  
 Ultima sic fuerit tædis viduata Maria!  
 O factum bene! Quod cepisti Numine dextro,  
 O minor, & fausto succedet Numine. Faxi,  
 Qui solus fido jungis duo pectora amore,  
 Qui solus fido necbis duo pectora amore,  
 Qui solus fido duo servas pectora amore,  
 O Deus, à cujus manant bona cuncta favore.

M. PETRUS BON JENA, Reipubl. Servestianæ  
 Consul & Illustr. Gymnas. Adjunctus.

IV.

**V**trum quæ faciunt beatiorē,  
 Prudentissime Iizhaace sunt hæc:  
 VIRTUS cum PIETATE, mens quieta,  
 Delicti agnitio, suiq; cordis  
 Pavor, salvificæ fides Salutis,  
 Artes ingenuæ, salubre corpus,  
 Virtus sufficiens, torus repletus  
 Liberis; populi favor, per Orbem,  
 Sparsa fama, pudica, casta, simplex,

prudens

Prudens fœmina, quæ suis ocellis  
Plus ex corde amat, & colit maritum.  
Virum quæ faciunt beatiorem,  
Prudentissime *Iizhaace* sunt hæc.

Joannes Cramerus, Γ

*ALIUD*

*Eodem Autore.*

**U**T similis simili gaudet; Sic quisq; jugalis  
Confortem similem gaudet habere tori.  
Ergo SPONSE facis rectè, laudemq; mereris,  
Qui viduus viduam ducis, amasq; parem.  
O par compositum bene! firmet fœdera CHRISTUS;  
Nemoq; disjungat, quos jugat ipse DEUS.  
O felix SPONSE! ô dignæ conjuncte MARIÆ!  
Quam morum gravitas, sedulitasq; probant.  
O digno conjuncta Viro faustissima SPONSA!  
Urbis qui lumen, Fama, Decusq; Fori.  
Vivite felices, felicia jungite lecti  
Vincula; PAX vobis adfit, & absit Eris.  
Una Fides, & Amor spirent, mens ferveat una;  
prosperet & thalamum, qui regit astra, DEUS.

*Votum Nuptiale.*

**T**Res non tres, duo non duo jungantur in unum;  
Ex uno duo, tres, quatuor, octo, decem.  
Tres non tres, duo non duo fausto fidere vivant  
Lustra duo, tria, ter quatuor, octo, decem.  
Tres non tres, duo non duo cernant serò nepotes  
Mille duos, tres, ter quatuor, octo, decem.

*Eodem Autore.*

JOHANNES CRAMERUS V. Vo-  
A 3

V.  
Votum Nuptiale

**N**Æ miratu, colende Sponse, factitas:  
Næ mira comprecabor ergò nunc tibi  
Ego; comprecabor candido sed pectore.  
Annon enim tibi parantur nuptiæ?

Annon enim tibi secunda tertie  
Sunt iste? Honora sponsa quando, nuptias  
Quæ nunc secundas apparat, fausto omine  
Hac vesperâ denubet in thalamum tuum.  
Nempe apparanti, Sponse, tertias tibi  
Ne non ea forent secunda, coelitibus  
Providit alma cura summi Numinis,  
Benigna cura, patria, atq; provida  
Providit, addiditq; tibi decus tori  
Secundi, ut esset hinc novus thalamus tuus  
Verè secundus. Ergò quò sint nuptiæ  
Tibi secunda, tertie sed nuptiæ  
Nunc apparanda, faxit Autor vinculi  
Fautorq; Conjugalis, ut primas bonâ  
Juxta & Secundas, Fautor optimus, tibi  
Re, spe, secundas fecit atq; nomine.  
Imò secundas qui alteras tibi dedit,  
Secundiores reddat iste tertias,  
Ut hinc secundiora surgant omnia  
Tibi profutura semper, & Sponse tuæ  
Cessura semper in beatum commodum,  
Cessura utriq; & in salutem perpetem.  
Tibi Secundas comprecans sic tertias  
Næ mira possum dici pro tempore  
Tibi comprecari! Dicar ut: modò desuper  
Hæc mira largiatur optimus Pater  
Ibi; precatus magna næ fuero tibi.

Inter meditationes sacras honoris  
& amoris ergò effusum à

M. JOHANNES CREMERUS, Sil. Archidiaconus ad D. Nicol.



**E** Sse *Choro* addictum res est *sanctissima* *Jhovæ*,

Atq; facit *Christo* perplacuisse suo.

**E** Sse *Foro* addictum res est *justissima* *Baldo*,

Atq; facit *patriæ* grata patrare suæ.

**E** Sse *Toro* addictum res est *castissima* *Paulo*,

Atq; facit *domui* ritè præ esse suæ.

Esse quid hoc scribam? Procedit in ordine trino

*Servestæ* consul clarus honore micans:

*Christicola* est fautorq; virum pia verba docentum,

En *sanctum!* *Christo* perplacet ergo suo.

*Jura* reis reddit librato pondere fessis,

En *justum!* *Patrium* sic juvat ergo *forum*.

Nunc in *amore* tumet vinclo dans colla jugali,

En *castum!* Ergo *sibi* vivet & inde *suis*.

Vivere perge *Choro*, sic te chorus almus habebit

Cantantem *sanctus* ter *superastra* poli.

Vivere perge *Foro*, ne *damnum* sentiat ullum

*Publica* res, *Patriæ* fer bene *fidus* *opem*,

Vivere perge *Toro*, *domui* sua *munera* præsta,

Vive *Isaâce* *Deo*, vive *Dica* atq; *Tibi*.

*Hisce*

*Dn. Consulis votis tertijs*

*omnia Secunda*

*precatur*

CHRISTOPHORUS FOVVINCKEL,

Ecclesiæ *Servestanæ* ad *D. Ni-*

*col. Diaconus.*

VIII.

**V**Ota subnectam Thalamo recenti:  
Sit Torus tristi sine lite vester,  
Sit Torus vester cumulo bonorum

undiq; cinctus.

Dona det SPONSO facilis Jehovah,

Dona det SPONSÆ pariter Jehovah,

Quæ petunt ipsi sibi, profutura

commoda vitæ.

Ambo concordés in amoris igne,

Ambo felices in honoris aulâ

Vivite & tandem subeatis ambo

Ætheris aulam.

*PHILIPPUS BECMANNUS,*

*Gymnasij Servestani Stud.*



Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindereimeritor  
Merseburg a. S.

1017






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13



AMIA  
ptiarum  
IDENTISSIMI  
ri, Dn.  
GRE.  
R VESTANÆ  
uptias Cele-  
m  
ET PUDICIS-  
na  
IA,  
isimi Viri,  
STORPII, Eccle-  
ArchiDiaconi b.m.  
icis.  
Andreae Bezelij,  
XXIV.

